

IOANNIS SCHONERII IN FABRICAM ET usum magnæ Regulæ Ptolemæi annotationes.

Pro fabrica regulæ magnæ Ptolemæi ad instar illius de aurichalco factæ per M. Ioannem de Monteregio, quæ Norinbergæ reperitur.



FAC tibi primum præparari duas regulas planas superficierum parallelogrammorum, longitudinis quatuor cubitorum, sufficientis tamen grossitudinis. In medio cuiusque earum latioris latitudinis, duc lineam rectam AC in una, in altera uero AD. Sit autem AC linea recta in regula fortiori siue grossiori. Deinde parabis etiam regulam tertiam, quæ sit CE iustæ latitudinis & spissitudinis, longitudinis tamen 6 cubitorum. Tribus his regulis sic inste & planissime præparatis, concipe longitudinem lineæ AC, uel AD, (nam eiusdem longitudinis esse debent) ad placitum, ab A puncto, usque in acumen eius D, & eandem lineæ longitudinem applicabis regulæ longissimæ, scilicet CE, & hoc à puncto C uersus E, cuius termino assignabis numerum 100000. Hanc longitudinem lineæ AC, huic regulæ longiori applicatam, diuide in latere illo, quod superiorem partem Instrumenti respicit, à puncto C, usque in assignatum numerum 100000, in partes æquales 10. Deinde etiam iterum quemlibet diuisionum in 10 æquales partes. Sic procede etiam ultra assignatum numerum 100000, usque in finem regulæ longioris. His diuisionibus ascribe suos numeros debitos, semper per 1000 scandendo, & numeros augendo, donec ad finem perueneris, sicut in prima diuisione apud C punctum, regulæ CE ponas 1000, in secunda 2000, in tertia 3000, &c. Quibus curate ac sic inscriptis, Subdiuide demum quolibet illarum portionum, iterum in 10 partes æquales. Hæ autem diuisiones manebunt sine numeris, quarum quælibet 100 ualebit partes. Demum coniunge regulas, ut decet. Deinde duo Clauiculi, siue Epistomia FG, regulæ fortioris infigantur perpendiculariter, ut in foraminibus suis libere circumuolui possint. Huius instrumenti formulam, uide infra. Modus iste obseruandi astra per has regulas Ptolemæi, meo quidem iudicio optime ualet, modo ut inter duo pinnacidia regulæ AD, fiat structura quædam papyracea, ad modum canne quadratæ de quadruplicato papyro, ad latitudinem & altitudinem pinnularis regulæ AD, sit tamen circa pinnacidium D foramen quoddam appertum, ut radius Solis ueniens per foramen pinnacidij A, ad pinnacidium D, uideri possit, quoniam ita radius Solis fortior uidebitur, non impeditus ab aëre uel uentis. Illarum rerum uide simulachrum mox sequens.

Simulachrum